59496

Racki Joannis: Quaestio physica de systemate coeli. Cracoviae. 1653.

QVÆSTIO PHYSICA, DE SYSTEMATE COELI,

In Alma Academia Cracouiensi

Sub felicibus auspicijs

Illustris, Magnifici, & Admodum R̃ndi Domini,

D. GREGORII MODLINSKI,

S. Th. & I.V. Doct. ad S. ANNÆ Præpositi,

Collegij Vladislauiani Prouisoris,

Dictæ Vniuersitatis

STVDII CRACOVIEN.

RECTORIS VIGILANTISSIMI,

Ad disputandum proposita

A

M. JOANNE RACKI,

Collegij Minoris Professore.

In Lectorio DD. Theologorum.

Anno Domini, 1653. Mense Julii *Die* 19 *Hora* 10

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsarij, S. R. M. Typog.

QVÆRITVR.

V. Corpus cœleste naturâ suâ simplicissimum, nec aliquid commune cum his inferioribus habens, oppositis, circa terram, moueatur motibus, & rectè iuxta recentiores in vndecim orbes diuidatur necne?

CONCLVSIO I.

Cœlum est corpus simplex, & quinta essentia meritò nuncupatur.

COROLLARIA.

I. Falsò existimauit ille, qui dixit Cœlum esse fornicem quendam, ex lapidibus pretiosis fabrefactum.

II. Quamuis ex Principijs Philosophi, cœlum videatur esse sine concretione materiæ, verè tamen compositum esse ex materia & forma tenendum est.

III. Simplicitas Cœli; mistioni qualitatum opponitur, non compositioni Physicæ, hæc tamen facit, vt cœlum non simpliciter, sed secundùm Quid; simplex esse dicatur.

IV. Cœlum frequenter coloratum apparens, non habet vnquam veros colores.

V. Etsi fluiditas cœlorum, specie differens ab Elementari, non improbabilis sit, stante tamen vtriusque incertitudine, satius est, cœcælum suo modo densum ac solidum, quàm è contra asserere.

CONCLVSIO II.

Corpus cœleste nil cum his inferioribus commune habet.

COROL-

COROLLARIA.

I. Quamuis hic mundus æquè ex Elementari, atque æthera regione integretur, cœlum tamen ab elementis sua naturâ diuersum est.

II. Materiam cœli, diuersæ rationis, ab hac sublunari tenemus.

III. Forma cœli, cùm sit omnium inanimatorum præstantissima, inamißibiliter eidem coniuncta est.

IV. Nulla corruptio cœlorum timenda est, nec alterationi quidem subijcitur.

V. Si noua aliquando Phœnomæna apparuerunt, ea non de nouo genita, sed de nouo conspecta esse, putanda sunt.

CONCLVSIO III.

Centrum tam Cœli, quàm totius vniuersi, in medio terræ esse indubitanter asserendum est.

COROLLARIA.

I. Tam sacri textus Oraculis innixi, quàm Aristotelico-Ptolemaicis rationibus persuasi, terram esse immobilem statuimus.

II. Sicut planities terræ apparens, eam esse reuerà planam non probat, sic vallium montiumq; varietas, rotunditatem ei debitam non destruit.

III. Ambitus Peripheriæ terrestris, quoad longitudinem & latitudinem suam, non incongrue à Cosmographis per gradus Æquatoris & Meridiani indagatur.

IV. Si quis tam magnam, quàm paruam dixerit terram esse, non errabit.

V. Non disconuenit de indiuisibili hoc terræ puncto, bella geri, inter gentes; quamuis idipsum Seneca damnauerit.

CONCLVSIO IV.

Cœlum oppositis moueri motibus in Lationibus suis, non repugnat.

COROL-

COROLLARIA.

I. Dantur in Cœlis plures Axes, super quibus Cœlos aßiduo rotari ratio euincit.

II. Contrarietas motuum in cælis, confert ad conseruationem Mundi huius sublunaris.

III. Per oppositionem motuum inferiorum, retardatur primi mobilis velocitas.

IV. Impreßio motus Raptûs facta ab Intelligentia, in orbibus inferioribus, est eis præter naturam spectando cuiusuis orbis propriam inclinationem.

V. Secundùm naturam Vniuersalem, motus primus naturalis omnibus censendus est, quia conducit ad conseruationem vniuersi.

CONCLVSIO V.

Vniuersum corpus cœleste, non malè à Recentioribus in vndecim diuiditur orbes.

COROLLARIA.

I. Plures exacta obseruatione, motus in cœlis deprehensi sunt, posterioribus sæculis, quam quos cognouerunt antiqui.

II. Vt Aristoteles priores se Philosophos in Physicis correxit, sic meritò in aßignatione Orbium cœlestium à Mathematicis corrigendus venit.

III. Numerum Sphærarum cœlestium aßignantes, non partiales, sed totales Planetarios orbes intelligimus.

IV. Cùm decem Sphæræ mobiles numerantur, non in rigore verbi; terminus Sphæræ accipitur, sed ex vsu vulgari vsurpatur.

V. Præter omnes cœlos mobiles, datur tandem primum immobile Cœlum Empyreum, concaua superficie, rotundum, & conuexâ, quadratum iuxta Apocalyp. 21. Ciuitas Dei, in Quadro posita est. *Vbi Regi Regum, & Domino Dominantium canitur, Laus, & Gloria, & Gratiarum actio, & nunc, & in æternum.*